

mediante alio, cui commiserit auctoritatem suam, instituere sacramenta; et fortasse ita fecit in lege veteri, quæ ordinata est per Angelos in manu mediatoris, ut dicitur Gal. III; sacramenta autem nostra ob sui excellentiam et maximam cum Christo Domino conjunctionem, ab ipso Verbo divino incarnato immediate facta sunt, et ex latere ipsius in cruce fluxerunt. Cæterum etiam posset dici, quod in lege veteri immediate sunt instituta a Deo, et licet mediaverit Angelus et Moyses, non mediaverunt ut instituentes, sed ut deferentes mandata Domini et promulgantes. In lege autem naturæ respublica erat ut instituens, mediante tamen interiori Dei instinctu.

ARTICULUS VI.

Utrum in significatione sacramentorum requirantur verba?

I. Prima conclusio: Congruum est, quod sacramenta constant ex rebus sensibilibus et verbis, præsertim quando significatio ipsa perfecta est.

II. Secunda conclusio solutione ad secundum: In sacramentis ex verbis fit quodammodo unum, sicut ex materia et forma, in quantum per verba perficitur significatio rerum.

III. Tertia conclusio solutione ad tertium: In sacramentis veteris legis non erat necessaria forma verborum ad expressionem similitudinis; erat tamen usus verborum in his, quæ ad cultum Dei pertinebant.

IV. Primam conclusionem ostendit S. Thomas; tum in argumento Sed contra ex auctoritate Apostoli id in baptismo docentis, Ephes. V: *Mundans eam lavacro aquæ in verbo*

vitæ: et auctoritate Augustini tractatu LXXX in Joannem id universaliter dicentis de omni sacramento: « Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum; » tum etiam in corpore articuli ex tribus, ad quæ dicunt habitudinem sacramenta, et a quibus pendent, scilicet, ratione causæ sanctificantis per ipsa sacramenta respectu hominum, qui sanctificantur, et respectu significationis sacramentalis. Ex parte quidem causæ sanctificantis, cum illa sit Verbum incarnatum, fit quod ad hoc ut sacramentum ipsi perfecte conformetur, congruum est quod constet ex re sensibili et verbo, et ita sacramentis, quæ ab ipso Verbo incarnato processerunt, hoc maxime congruit.

V. Ex parte vero hominum suscipientium, quia constant anima et corpore, ut eis perfecte proportionetur medicina quæ in sacramentis adhibetur, oportet quod constant ex re sensibili ut materia, et verbo ut forma, ut per sensibilem rationem corpus tangant, et per invisibilem virtutem verbi animam abluant. Ex parte vero significationis constat inter omnes significationes, quibus homines ad invicem utuntur et communicantur, principalem locum obtinere verba, quæ expressius et melius conceptum significant. Ut ergo significatio sacramentalis esset expressior, oportuit quod adhiberentur verba, ut per ea determinaretur significatio magis imperfecta rerum; sicut aqua potest humiditatem significare et frigiditatem, etc. accedente autem verbo: *Ego te baptizo*, determinatur ad significandam ablutionem animæ.

VI. Secundam conclusionem explicat S. Thomas, quia bene stat quod res, quæ sunt in diverso genere, fiant unum in alio genere; et sic verba et res in ratione signi sacramentalis fiunt unum, quia non

sunt nisi unum signum. Et quia in ista ratione signi datur aliquid perfectius et actualius in significando, quod determinet aliud minus perfectum in significando, habebunt se sicut materia et forma.

VII. Tertiam conclusionem ostendit S. Thomas, quia significatio sacramentorum erat obscurior et minus perfecta, et sic non indigebat verbis tamquam formantibus et determinantibus ea in genere signi.

DUBIUM PRIMUM.

Circa primam conclusionem D. Thomæ.

AN NECESSE SIT SACRAMENTA CONSTARE REBUS ET VERBIS TAMQUAM MATERIA FORMA?

Conclusio est affirmativa.

VIII. Et in illa loquimur solum de sacramentis novæ legis, non antiquæ; nam ritus sacramentorum veteris legis sine verbis conficiebatur, ut constat in circumcissione, et aliis, quorum materia nullo modo includebat verba; sed si quæ adhibebantur erant ad divinum cultum spectantia, aut in gratiarum actionem, vel benedictionem aut deprecationem, non tamen in materiam aut essentiam sacramenti. Ratio vero præcipua hujus ex institutione pendet, quia sic instituta legimus illa sacramenta, ut sine verbis tota earum significatio impleretur. Congruentia vero sumitur ex his, quæ docet S. Thomas solutione ad tertium, quia illis minus expresse significare conveniebat, et ideo minus exprimente significativo constare debebant; verba autem sunt maxime significativa inter homines: ergo non erat illis congruum constare verbis.

IX. Pro intelligentia ergo con-

clusionis notandum est, quod duo in illa dicimus. Primum est, quod omnia sacramenta novæ legis constant rebus et verbis: secundum est, quod res istæ, et verba se habent tamquam materia et forma. Et prima pars constat ex institutione Christi Domini qui omnia sacramenta novæ legis sic instituit; et congruentiæ D. Thomæ, præsertim ultima, satis id convincunt; nam in nova lege oportuit sacramenta fidei ejus apertiora et expressiora esse quam in quolibet alio statu, utpote cum fides ipsa etiam determinatius et expressius res credendas proponat. Si autem ex solis rebus constaret significatio sacramentalis, obscurior esset, cum res sint minus determinatæ ad significandum præsertim spiritualia, quam verba; cum hæc, ex eo quod a conceptione descendunt, determinatius significant.

X. Igitur ut significatio quoque sacramentalis magis sit determinata et expressa, verbis debuit perfici. Constat etiam id ex sacris litteris, ubi in plurimis sacramentis, ut baptismo, pœnitentia, eucharistia, et extrema unctione verba ponuntur, et res declarantur. Ac denique in concilio Florentino definitur, omnia sacramenta novæ legis constare verbis et rebus, explicanturque singulorum materiæ et formæ, præterquam matrimonii.

XI. Secunda pars sumitur et ex Concilio Florentino citato, et ex Tridentino etiam sess. XIV, cap. I, dicente: « Sacramentum pœnitentiæ constare ex materia et forma; » et ex communi theologorum consensu, quorum una vox est, sacramenta debere habere materiam et formam, nec Ecclesiam posse mutare materias, aut formas sacramentorum, quia sunt de eorum essentia. Et ratio S. Thomæ est satis efficax, quia ubi unum est deter-

minans, et aliud quasi determinabile, ibi datur proportio materiæ et formæ; significatio autem rerum est multum indifferens et inderminata et obscura; verborum autem determinatior et expressior: ergo hæc determinat illam, et sic habet se respectu illius ut forma: unde aqua, quæ de se potest esse indifferens ad significandam ablutionem vel refrigerium, determinatur per verba baptismi, ut ablutionem spiritualem designet.

XII. Sed est difficultas, quomodo rationem formæ et materiæ habeant res et verba; nam vel id habent ratione suæ significationis sibi propriæ quæ est ordinis naturalis; vel ratione alicujus significationis a Christo Domino eis adjunctæ, et supernaturalis; hoc secundum dici non potest, nam significatio proveniens ex institutione Christi Domini est unica, cadens super res et verba: ergo ratione illius verba non determinant res, aut e contra, cum sit unica in verbis et rebus. Primum vero est omnino impossibile, cum significatio, quam alias habent verba, impertinens sit ut determinet significationem rei in ordine ad significationem sacramentalem.

XIII. Suarez disputatione II, sectione prima in fine, partiales agnoscit significationes, contra Cajetanum hic, taliter quod aqua, verbi gratia, habet partialem significationem, et verba partialem; et inde componitur tota significatio, licet addat quod hæ partes essentielles non habent significationem sacramentalem nisi in ordine ad totum, quod componunt.

XIV. Nihilominus tamen dicendum est, quod significatio sacramentalis est indivisibilis, cum sit forma totius sacramenti, quæ est significatio, seu relatio significationis, quæ indivisibilis est, et conve-

nit indivisibiliter toti sacramento, sicut forma domus toti domui. Dicitur tamen determinare materiam, seu verba determinare elementum, non ratione alicujus significationis sacramentalis quasi partialis, sed ratione modi determinatioris et expressioris in significando; secundum quod venit in usus hominum, quæ in elemento indifferentior est et laxior. Unde S. Thomas nunquam dixit, quod significatio rerum determinatur per significationem verborum, sed quod per verba perficitur et determinat significatio rerum, quia scilicet cum verba obtineant principatum in significando respectu hominum, quia per verba distinctius possumus conceptus nostros repræsentare, ideo verba significativa adjuncta rebus efficiunt quod significatio sacramentalis sit expressior et distinctior, quia verba significativa efficiunt rem istam melioris significationis capacem.

XV. Et hoc per significationem suam propriam efficiunt, non absolute, sed ut a Deo assumitur et verbis conjungitur, sicut paries determinat fundamentum ut domus fiat, non absolute, sed ut ab artifice ad id assumitur. Etenim licet significatio sacramentalis sit ex impositione Christi Domini secundum potestatem supernaturalem, tamen supponit in re, quæ eligitur ad talem significationem et instituit congruentiam et similitudinem cum re significata; et quanto amplior fuerit congruentia et similitudo, tanto amplior et expressior recipitur significatio sacramentalis; accommodavit enim semper Deus materiam convenientem significationi. Cum enim significatio sacramentalis respectu gratiæ sit solum ad placitum, modus significandi expresse vel obscure, ex materia cui supervenit talis significatio, habetur. Unde ad habendum modum istum si-

gnificandi distinctius simul cum aliqua obscuritate et mysterio, adhibentur res et verba, ut his sic conjunctis superveniat significatio sacramentalis.

XVI. Unde cum in sacramentis novæ legis debeat esse significatio maxime distincta, quantum ratio sacramenti patitur, ideo elegit Dominus materiam ad id valde accommodatam, videlicet pro ea parte qua sacramentalis significatio debet esse misteriosa et occulta, appositus res; pro ea parte qua maxime significativa, adhibuit verba, ut ex utroque fieret apta materia significationi sacramentali, qualem requirebat lex evangelica. Non ergo determinatio per modum materiæ et formæ fit in ipsa significatione sacramentali, quæ unica est, sed in ipsa materia, quæ tali significationi subjicitur, ut congrua fiat, et similitudinem sufficientem habeat respectu significationis sacramentalis ita expressæ; quod melius in secundo argumento explicabitur.

XVII. Quare verba et res habere se ut materia et forma, non intelligitur in ipsa significatione sacramentali, sed ut resultet in illis unica significatio sacramentalis; nec intelligitur respectu compositionis, quæ fit ex significatione et materia (hæc enim potius est ex accidente et subjecto) sed intelligitur respectu compositionis ipsius materiæ, quæ antecedit et subjicienda est significationi sacramentali, et sub hac ratione, ut scilicet subjiciatur: respectu enim hujus significationis verba ipsa materialiter se habent. Hæc ergo materia constat essentialiter ex rebus et verbis; sicut inter partes domus una invenitur quasi perfectior, et formalior altera; omnes tamen simul sunt materia respectu figuræ domus.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XVIII. Objicitur primo: In sacramento pœnitentiæ non sunt res, sed sola verba sunt; in sacramento matrimonii nec etiam verba requiruntur, sed sufficiunt scripturæ vel nuntus: ergo non omnia sacramenta constant rebus et verbis.

XIX. Confirmatur, nam de ratione sacramenti est ut habeat significationem occultam: ergo non debet solis verbis constare pro materia et forma; sic enim non habet occultam significationem, sed solum distinctam.

XX. Respondetur in sacramento pœnitentiæ etiam esse res et verba; non quia sint res distinctæ entitative et sensibiliter a verbis, sed quia in ipsis verbis pœnitentis et ministri quædam induunt proprietates rei, et quædam retinent vim verborum, et determinationem. Induunt autem proprietatem rei in duobus. Primo quidem, quia sunt quid indeterminate, et determinabile ulterius in ratione significationis; verba autem ministri sunt ultimo determinantia in ordine ad absolutionem peccatorum in ordine gratiæ: secundo, quia sumuntur verba pœnitentis non tam ut ratio significativa, quam ut actio dolorosa, et exterius dolorem exprimens peccatorum, cui superveniunt verba sacerdotis ut significantia absolutionem, et significatione sua actionem illam dolorosam determinantia. Ac denique habent se hæc ut perfectientia judicium, quorum illud quod se habet ut perfectiens, est forma; quod ut perfectibile, materia.

XXI. Similiter in matrimonio non requiruntur verba quantum ad materialitatem verborum, id est, vocem dearticulatam, sed quantum ad formale, scilicet, perfectientia signi-

ficationem contractus, quæ sufficienter perficitur aut verbis, aut nutibus, aut scripturis, dummodo id apponatur quod re verum contractum perficit; quod quia ordinarie fit verbis vocalibus, dicitur constare verbis.

XXII. Ad confirmationem respondetur debere sacramenta constare rebus, etiamsi materialiter illa verba sint, dummodo videlicet rerum proprietatem induant, non verborum; sic enim sufficienter occultatur significatio sacramenti, esto materialiter sint verba quantum ad vocem, et sonum etiam exterius experimentem.

XXIII. Secundo objicies: Nam forma constituens sacramentum non sunt verba, sed significatio, nec significatio verborum, cum hæc sit ex placito hominum: significatio vero constituens sacramentum fit ex placito Dei; ergo male ponitur constare ex verbis ut forma; alias in sacramento esset duplex forma, scilicet verba, et significatio, qua in genere signi constituentur sacramenta.

XXIV. Confirmatur, nam si verba sunt forma, id habent ratione suæ significationis; alias enim non habent unde sint forma. Similiter etiam res sunt materia ratione suæ significationis imperfecte significantis; ergo jam est duplex significatio in sacramento, quod ex his duobus fit; præsertim, quia una significatio ex his partialibus non tollit aliam. Significatio enim verborum non tollit significationem elementi, aut e contra: ergo utraque manet, et sic sunt plures significationes, saltem partiales: ac denique, quia significatio unius non communicatur aut commiscetur significationi alterius: ergo manent plures, et non una. Antecedens constat, nam una est naturalis, scilicet significatio elementi; alia ad

placitum, scilicet verborum: ergo communicare et commisceri non possunt in ratione signi.

XXV. Respondetur ad argumentum formam in sacramento dupliciter sumi, uno modo ut distinguitur contra subjectum, et sic dicit ipsam formam quasi artificialem, quæ est accidens superveniens subjecto: alio modo sumitur forma non ut distinguitur contra subjectum, sed ut distinguitur contra partem subjecti magis materialem et imperfectam, licet utraque subjiciatur uni formæ artificiali, ex quibus totum resultat artefactum. Primo modo verba non se habent ut forma sacramentalis; hæc enim significatio est ex impositione Christi Domini proveniens: secundo vero modo forma sunt; non repugnat tamen, quod id quod se habet ut forma respectu unius, materialiter se habeat respectu alterius, sicut diaphaneitas est forma aeris, et materiale lucis. Ex hoc autem non sequitur, esse duplicem formam in sacramento, quasi ejusdem actualitatis, et non subordinatas, sed duas, quarum una respectu alterius forma non est, sed materialiter se habet.

XXVI. Ad confirmationem respondetur verba esse formam ratione suæ significationis, non quomodo-cumque, sed elevatæ et acceptæ a Christo ut determinet significationem imperfectam materiæ, ad hoc ut utraque simul recipiat significationem sacramentalem: vel potius ratione modi significandi expressioris, qui est in verbis, ut adjunctus rebus per divinam ordinationem fiat una materia expressius signativa, et capax significationis sacramentalis expressioris et perfectioris.

XXVII. In verbis enim est considerare significationem ipsam ad placitum humanum, qua significant

perfectius quam res, et hæc significatio sic considerata non habet rationem formæ respectu alicujus materiæ, licet habeat congruentiam ut assumi possit tamquam forma, aut id quod subjiciatur significationi sacramentali. Est deinde considerare quod verba sic significantia assumantur a Christo Domino ut conjuncta cum materia tali imperfectius significativa; tunc habet esse forma illius materiæ in ordine ad sacramentalem significationem, non quomodocumque, sed ut a Deo assumpta et elevata ad hoc ministerium. Deinde vero his duobus sic conjunctis et se determinantibus, non secundum se, sed in ordine ad sacramentalem significationem, supervenit significatio hujusmodi tamquam forma ultima.

XXVIII. Quod in aliis artefactis videre est, nam parietes verbi gratia sunt forma fundamenti, non absolute, sed ut assumpti et collocati per artificem in ordine ad domum; postea vero supervenit eis forma integra domus. Quare ibi manet significatio verborum et elementi, non significatio sacramentalis, sed veluti antecedens et præsupposita ad significationem sacramentalem. Hæc autem inconveniens non est, quod multiplicetur, sed sacramentalis significatio una est, superveniens his duobus alias significantibus, sed non sacramentaliter. Et ita materia non tollit significationem verborum, aut e contra, sed ex illis duobus sic conjunctis efficitur una sacramentalis indivisibilis in utroque recepta, in uno ut in determinante, in alio ut in determinabili. Nec oportet ad hoc, quod significatio vocis communicetur significationi elementi, sed quod ordinatione divina jungatur ei, et determinet illam in ordine ad sacramentalem significationem suscipiendam, quæ una est.

XXIX. Nec tamen composita est significatio resultans, quia significatio non resultat ut compositum, sed ut forma artificialis ex conjunctione artificiali resultans, et ideo simplex esse potest: sicut in lapide aut equo, esse existentia resultat ex compositione formæ cum materia, nec tamen existentia est composita, cum sit forma ultima. Et figura domus resultat ex compositione partium, nec tamen est composita qualitas; resultant enim hæc ut forma ultima, non ut res composita, seu compositum ipsum. Nec ideo tolluntur significationes, quas verba ex placito humano, aut elementum naturaliter habent; sed conjunguntur hæc in ordine ad aliam significationem sacramentalem. Et quod hoc determinet illam, est ex ordinatione divina conjungente illam quæ ex natura rei expressior est, ut sit forma et determinatio ejus, quæ minus expressa, non absolute, sed in ordine ad hunc effectum, scilicet, ut eis tribuatur, et resultet significatio sacramentalis, et hæc una relatio est in utraque. Sic in pluribus trahentibus navim, una relatio est trahentium, sed plures supponuntur, non in ratione trahentis, sed in ratione applicantis se unus ad alterum, quibus supervenit relatio trahentis.

XXX. Tertio objicitur: Nam in matrimonio verba ab utroque conjugate prolata sunt pariter formalitatis et determinationis; nec est major ratio cur consensus viri verbi gratia, habeat rationem formæ, quam consensus feminæ: ergo ibi verba non se habent per modum formæ. Ad hujus enim contractus essentiam feminæ et viri consensus æquales sunt, licet quoad regimen vir caput sit.

XXXI. Nec potest dici, illum consensum esse materiam, qui prius exprimitur; tum, quia potest uterque simul exprimi, et erit verum

matrimonium; tum, quia non assignatur tunc forma certa et determinata, sed quicumque consensus fuerit ultimus, quod est per accidens.

XXXII. Nec etiam potest dici, quod illi consensus ad invicem sunt determinabiles et determinantes; et quatenus determinabiles, formæ. Contra enim est, nam sicut implicat eandem rem secundum eandem rationem formalem esse simul in actu et in potentia; sic implicat eundem consensum secundum rationem consensus conjugalis esse simul formam et materiam, determinabile et determinatum; præsertim, quia id quod est materia in his signis, debet esse indifferens et indeterminatum ad plura significanda, et determinari per formam; quod in his contractibus non est invenire.

XXXIII. Respondetur verba conjugum consentientium paris formalitatis esse, non secundum omnem modum considerata, sed quantum ad hoc quod est se invicem determinare; et ita si adæquate considerentur, pares sunt; non vero si inadæquate, id est, quatenus considerantur ut determinans, aut ut determinabile ad invicem. Nec requiritur ad hoc quod consensus unius prius proferatur, quam consensus alterius, cum materia non debeat tempore præcedere formam, sed potentialitate et indeterminatione. Sic autem est, quod consensus illius contractus ut procedit ab uno, est completibilis per alterius consensum in constitutione contractus; secundum vero quod terminat consensum procedentem ab alio, est completivus et forma; quod est dicere, secundum rationem traditionis esse materiam, secundum acceptationem esse formam, quia ut traditio, procedit a tradente; ut acceptatio, terminat illum, qui ab alio procedit. Sicut in relativis mutuis, unum ad in-

vicem specificat aliud, quia secundum quod procedit ratio ad terminum, est specificabilis ab illo; secundum vero quod terminat aliam relationem, est specificativa illius.

XXXIV. Unde patet solutio ad replicam, quia id non fit secundum eandem rationem, sed secundum diversas, scilicet quatenus traditio, aut quatenus acceptatio, quod in omni contractu intervenit; et sic non sunt in actu et potentia secundum eandem rationem. In consensu enim conjugali utraque ratio includitur et formalitas, sicut in quolibet contractu. Nec oportet, quod materia sit indifferens ad plura significanda, indifferencia quasi contrarietatis, quia videlicet multas et diversas in se significationes includat, sed indifferencia contradictionis, quia scilicet hanc determinatam, et completam non includat. Hinc est quod in Tridentino et Florentino Conciliis non declarantur materia et forma matrimonii, sicut in aliis Conciliis, quia cum contractus esset materia et forma, quæ variari potest in litteris scriptis aut nuntibus, non fuit necesse verba et res declarare specialiter, sed id relinquere doctorum opinionibus, quas in hac parte Concilia non voluerunt destruere.

XXXV. De sacramentis veteribus non oportet disputare; licet enim verbis non constiterint, saltem omnia tamen univoce conveniebant in ratione signi cum nostris sacramentis, sicut conveniunt in ratione signi nutus verba et scripturæ, et alia signa apud nos.

DUBIUM SECUNDUM.

AN ISTA MATERIA ET FORMA SACRAMENTALIS AD INVICEM UNIANTUR PHYSICE ET REALITER, UT PARTES COMPONENTES SACRAMENTUM?

Conclusio est affirmativa.

XXXVI. Pro cuius intelligentia est notandum, duplicem hic considerari compositionem in quolibet sacramento, altera est ex significatione et subjecto significationem recipiente: altera est ex verbis et rebus, ex quibus fit integrum subjectum recipiens significationem. Sicut in domo et est compositio ex pariete, tecto et fundamento, et est deinde compositio ex omnibus istis entibus conjunctis, et figura domus. Et de ista quidem secunda compositione non loquimur in præsentibus; cum enim significatio hæc sit aliquid rationis, utpote significatio ad placitum, et ad compositionem realem requirantur extrema realia, non est dubium quod ex illis non fiat realis compositio. Præterquam quod in compositione ex subjecto et accidente, subjectum non se habet proprie ut pars, cum non habeat esse a toto resultante, quod est quid per accidens, sed potius ad suum esse trahat alterum extremum, scilicet accidens, et sic in uno esse communicant. Sed de hac compositione nihil ad præsens.

XXXVII. De compositione autem illa, scilicet ex rebus et verbis, quia ibi sunt extrema realia, dubium est, an realiter etiam uniantur, et tamquam partes. Et dicimus, quod sic. Etenim unitas signi sacramentalis non solum attendenda est penes unitatem significationis, sed etiam (et maxime) penes unitatem subjecti significationis. Terminus enim licet

plures habeat significationes, est tamen unum signum, si sit una vox numero, et unum subjectum vestitum pluribus significationibus. Quare ut signum dicatur unum simpliciter et absolute, oportet ex parte subjecti unitatem esse, et non solum ex parte significationis.

XXXVIII. Cum autem sacramentum sit signum, ut sic aliquid reale absolute et simpliciter ratione subjecti, oportet quod habeat unitatem non solum quantum ad id quod reale est, alias simpliciter non diceretur sacramentum ens reale, si non esset unum ens reale: est enim eadem ratio entis, et unius entis. Oportet ergo ex parte entitatis realis assignare unitatem aliquam; et ita ille qui fecit quod hæc convenirent in unum subjectum reale, et in unum instrumentum reale, effecit etiam quod ad invicem se determinarent, non solum in ratione signandi expressius, sed etiam in ratione subjecti realis, et unius realis sacramenti, pro ea etiam parte qua reale quid est.

XXXIX. Quod autem se habeant ut partes componentes verba et res patet, quia sacramentum non est ens reale simplex, sed compositum compositione aliqua saltem imperfecta; essentialiter autem ad hanc compositionem requirit verba et res, cum essentialiter constet ex materia et forma; ergo oportet materiam et formam concurrere tamquam extrema componentia, et consequenter tamquam partes compositi.

XL. Sed quia ad rationem compositionis realis non sufficit extrema esse realia, sed oportet quod conjunctio realis sit, videndum est quomodo in sacramentis res et verba reali modo conjungantur; præsertim cum non conjungantur res et verba ratione suæ realis et physice entitatis, sed ratione suæ significationis, quæ conjunctionem rea-